



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 77. Bellicus Protestantium Principum apparatus adversus Cæsarem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. A. C. 1623. nem (uti tamen falso antea obtendebatur) nec Dei honor, nec Religionis Catholicæ incrementum, nec Regni pax fuisset promota. Denique Calvinistarum Ecclesia Spiræ PP. Cappucinis vindicata est.

§. LXXVII.

Bellicus Protestantium Principum apparatus adversus Cæsarem.

Meteran. l. 43. p. 424.
Merc. Gallob. tom. 14. l. 3. p. 164.
Bellus laur. Aust. p. 751. lib. 7.
Caraso comm. p. 158.
Priorat. l. 32 p. 100.

Interim Protestantes inferioris Saxonie Circuli Principes adversus Cæsarem, cujus nequidem clementia turbidi eorum animi placari poterant; arcano inter se concluso foedere arma parabant, ac præter Brunsvicensis, & Mansfeldii copias sub ementito Saxoniam a Mansfeldii milite tuendi obtentu, exercitum duodecim millium qua perditum qua Equitum contraxere: ut vero sua consilia cautius tegerent, falso rumore spargebant, se Christianum Brunsvicensem Halberstadiensem Episcopum die quarta Martii in exercitus sui Imperatorem eo fine adscivisse, ut hac ratione a Mansfeldio abstractus eo facilius Cæsari reconciliari posset: Ita Protestantes dolis & mendaciis illo ævo fucum facere certabant. Verum Imperator Ferdinandus in se fabam cudi animadvertens, priusquam vim vi repelle-

pelleret, paternæ adhortationis remedium opposuit, ac Saxonix Proceres rogavit, ut arma ponerent, & Brunsvicensem, manifestum Imperii hostem finibus suis ejicerent, ac denique in Mansfeldium, qui Frisiam Orientalem misere vastabat, arma converterent: Insuper pro innata sua clementia, pacisque conservandæ studio Cæsar Brunsvicensi rebellionis criminumque veniam, gratiamque pollicebatur, si depositis armis, dimissoque exercitu sese ad quietem componeret. Surdo tamen canebatur fabula: Dux enim Cæsarem aggredi, firmum ratumque habens, cum exercitu viginti ferme duorum millium per Thuringiam penetrandi veniam ab Electore Saxone petiit. Hic vero non minus quam Saxonici Circuli Principes, ut potius in Cæsaris gratiam rediret, suadebant, quibus ille respondit, se id facturum, dummodo pari gratia Palatinus, omnesque sui milites fruerentur: Annuit Imperator, ac nonnisi eos, qui Austriacæ jurisdictionis essent, excepit: nihilominus Dux hanc quoque Cæsaris clementiam variis obtentibus elusit, non aliam pacem, quam Daniæ Rex præscripturus esset, se initurum asserens. Perspecta igitur Ducis mente, Cæsar Tillio negotium dabat, ut positis prope

Sæc. XVII.
 A. C. 1623.

Sæc. XVII. Visurgin castris inferioris Saxoniae
A. C. 1623. Principum motus observaret, ac sedulo
 Brunsvicensem Mansfeldio uniri præ-
 pediret. Tillius igitur promotis Hirs-
 felda castris ad agri Brunsvicensis fi-
 nes exercitum suum viginti armato-
 rum millibus validum admovit, Hal-
 berstadiensem, qui Northeimium con-
 tenderat, intercepturus. Cum autem
 in Saxonici Circuli finibus esset, Fri-
 derico Udalrico Brunsvicensium Duci
 significabat, se ipsius ditiones ingres-
 surum, ni Christianus Frater ipsius ar-
 ma deponeret, pollicitatione facta, se-
 tum Halberstadiensem ditionem non
 invasurum. Hic vero die decima nona
 Martii datis literis Tillio exponebat,
 quod ab hostili invasione Fratrem suum
 dehortatus esset, incassum licet, Til-
 lius tamen certus sit, quod Fratris sui
 exercitus nullam nec Cæsari, nec cui-
 piam ex Imperii Principibus molestiam
 sit illaturus: Huic excusationi aquies-
 cere videbatur Tillius, qui, ut a Mans-
 feldii irruptione securus esset, inferio-
 ris Saxoniae Principes, ut ad opprimen-
 dum Mansfeldium vires suas jungerent,
 hortatus est, Batavos vero sollicitabat,
 ut eundem his finibus excedere, exer-
 citumque dimittere compellerent.

§. LXXVIII.